

ANGELO POLIZIANO

ELEGIAE (636 vers)

AD LAURENTIUM MEDICEM. COMMENDAT PRAECEPTOREM ANDRONICUM

E_1 v.1 Ipse canenda geris, Laurens, nos gesta canemus ;
 2 hei mihi, sed nostro est parvus in ore sonus !
 3 Exsuperat teneras, Medicos, tua gloria vires,
 4 Nostraque materiam carmine musa premit.
 5 At tenerae crescent vires crescentibus annis,
 6 exiguusque meo crescet in ore sonus.
 7 Tum liceat nomen fama tibi ferre per aevum
 8 et tua non humili gesta sonare tuba.
 9 Tu tantum Andronicum serves ! O quantus ab illo
 10 spiritus in nostri pectoris ima venit !
 11 O quos ille tibi gignit nutritque poetas,
 12 dum tonat Argolicis Troica bella modis !
 13 Jam tibi Aristotelem vertit, penitusque retrusas
 14 naturae arcano concinit ore vices.
 15 Unica materies illi es, spes unica solus ;
 16 una illi vitam tu dare voce potes.
 17 Parva petit, dare magna soles ; da parva petenti :
 18 parva tamen nescis si dare, magna date.

IUUVENI ERUDITISSIMO THOMAE BALDINOTTO SALUTEM

E_2 v.1 Si quisquam Hippotadem Boreamque Eurumque frementem
 2 flexit Hyantaei carminis eloquio,
 3 aut si floriferae Cyclopa e montibus Hyblae
 4 Sirenes solitae ducere carminibus ;
 5 nempe adamanteo fuerit si pectore, vel si
 6 saxum habeat, vel si ferrea corda gerat,
 7 septa Medusaeis videat si colla colubris,
 8 qualia Cepheni qualia vidit Atlas ;
 9 audiat hic si fors tua dulcia carmina, Thoma,
 10 optet ab Aegeis currere verticibus,
 11 optet anhelanti caelum transmitters penna,
 12 optet ab extremis currere Gangaridis.
 13 Multos fama trahit, multos tua carmina, quosdam
 14 natura aethereo mitis amore trahit.
 15 Ast ego quantum ansim, liceat si forte sonantis
 16 Aonio cantum spargere monte chelys !
 17 Non Zethus Calaisque leves, non callidus Argi
 18 Victor, non Danais filius aurigena,
 19 non aurae aut volucres superent ; proh tristia fata !
 20 Sic sors mortales imperiosa domat.
 21 Tu tamen Argolicum dum carmine tollis Homerum,
 22 quam merito vati munera digna refers !

23 Perge igitur : mox laurigero sublimior aestro,
 24 aggredere Aonia fortia bella tuba.
 25 Jamque vale, et nostrum conserva sub pectore amorem,
 26 ut Capitolino prisca Camoena Jovi.

ALEXANDRO BRACCIO SALUTEM

E_3 v.1 Qualis prisca fuit Mimnermi musa poetae
 2 Antimachus quales edidit ore modos,
 3 et Cyneraei sunt qualia carmina vatis,
 4 qualia vel nostris Umbria culta dedit ;
 5 aut quales cecinit facundo pectore versus
 6 ingenium cujus Delia pulchra fuit,
 7 vel sua crudeli qui fodit viscera ferro,
 8 quisque procul Getico pulsus in orbe canit ;
 9 talia dulcisono modularis carmina plectro.
 10 O animae, Bracci, portio magna meae.
 11 Quare, age, si quis erit nigro qui dente lacessat
 12 Bassum, liventes injiciatque manus,
 13 ipse tuo fortem clypeum protende sodali :
 14 sic faveat semper turba novena tibi,
 15 praebeat et solitum cantus elegia tenorem,
 16 et dominam placida flectere voce queas.

AD ANTONIUM BENIVENIUM, MEDICUM

E_4 v.1 Ut sonipes geminas attollit Martius aures,
 2 cum raucae belli signa dedere tubae ;
 3 sic mihi languenti surgunt in pectore vires,
 4 ingenii laudas cum monumenta mei.
 5 Et merito : neque enim, tanto sub iudice tutus,
 6 pertimeo vulgi scommata vana rudis.
 7 Nam quoniam Stygiam facile est tibi pellere mortem,
 8 quam facile invidiae frangere colla potes ?
 9 Felix cui liceat fati pervertere legem,
 10 quem propter cymba stet levio Charon,
 11 stamina qui valeas invita nectere Parca
 12 atque animas vacua restituisse colo.
 13 Felix grata domus Lycio Benivenia Phoebos,
 14 cui sua concessit munera cuncta Deus !
 15 Namque Coronidem tibi cedere jussit Apollo,
 16 jussit et aemonium cedere Phillyriden.
 17 Ast alius simili frater virtute recenset
 18 quae medicam surgens herba ministret opem.
 19 Tertius Aoniis satur ille Hieronymus undis
 20 ad querulam docto barbiton ore canit.
 21 Bissenos alius modo cum trascenderit annos,
 22 pectore jam canos vincit et ore senes :
 23 cederet huic Thamyras docti certamine cantus,
 24 cederet aurata Calliopea lyra ;
 25 argumenta etiam logicis miranda figuris
 26 implicat, et magnum versat Aristotelem.
 27 Di tibi dent Pyliam longe superare senectam,
 28 Antoni, Euboicos et superare dies !

29 Di tibi dent geminos longum superesse parentes !
 30 Di servent fratres, pignora chara, tuos !
 31 Tu modo praecipiti quae nuper carmina penna
 32 scripsimus, ingenii munera parva mei,
 33 excipe, meque tuum memori sub mente reconde,
 34 mutuaque alternus pectora servet amor.

DE OVIDII EXILIO ET MORTE. IN PRINCIPIO STUDII

E_5 v.1 Et jacet Euxinis vates Romanus in oris.
 2 Romanum vatem barbara terra tegit.
 3 Terra tegit vatem teneros qui lusit amores
 4 barbara, quam gelidis alluit Ister aquis.
 5 Nec te, Roma, pudet, quae tanto immitis alumno
 6 pectora habes ipsis barbariora Getis ?
 7 Ecquis, io Musae, Scythicis in finibus aegro
 8 taedia qui morbi demeret, ullus erat ?
 9 Ecquis frigidulos qui lecto imponeret artus,
 10 aut qui dulciloquo falleret ore diem ?
 11 Aut qui tentaret salientis tempora venae,
 12 aut fomenta manu qui properata daret,
 13 conderet aut oculos media jam morte natantes,
 14 aut legeret summam qui pius ore animam ?
 15 Nullus erat, nullus ; veteres tu dura sodales
 16 heu procul a Ponto, Martia Roma, tenes.
 17 Nullus erat ; procul ah ! conjux parvique nepotes,
 18 nec fuerat profugum nata secuta patrem.
 19 Scilicet immanes Bessi, flavique Coralli.
 20 Aut vos pelliti saxea corda Getae,
 21 scilicet horribili dederit solamina vultu
 22 Sarmata ab epoto saepe vehendus equo,
 23 Sarmata cui rigidam demisso in lumina frontem
 24 mota pruinoso tempora crine sonant.
 25 Sed tamen et Bessi extinctum et flevere Coralli.
 26 Sarmataque et durus contudit ora Getes :
 27 extinctum et montes flebant silvaeque feraeque,
 28 et flesse in mediis dicitur Ister aquis :
 29 quin etiam pigro concretum frigore Pontum
 30 Nereidum lacrimis intepuisse ferunt.
 31 Accurrere leves Paphia cum matre volucres,
 32 arsuroque faces supposuere rogo :
 33 quem simul absumpsit rapidae violentia flammae,
 34 reliquias tecto composuere cado ;
 35 impositumque brevi signarunt nomine saxum :
 36 "Qui jacet hic teneri doctor amoris erat."
 37 Ipsa locum late sancto Cytherea liquore
 38 irrorat nivea terque quaterque manu.
 39 Vos quoque, Pierides, vati libastis adempto
 40 carmina, sed nostro non referenda sono.

BERNARDO BEMBO, VENETO ORATORI, VIRO UNDECUMQUE ELEGANTISSIMO

E_6 v.1 Ut miseros quondam nautas Acheloia Siren
 2 in poenam traxit carmine blandisono ;
 3 sic, Bernardo, tuo quemvis succendis amore,
 4 seu quid mente agitas seu geris aut loqueris.
 5 Si causam veneti tutaris, Bembe, senatus,
 6 mox Pitho in labris stat veneranda tuis.
 7 Seria si tractas, credam tractare Minervam ;
 8 si joca, dat puros Gratia nuda sales.
 9 Carmina seu cantas, tibi Musae in pectore cantant ;
 10 sive taces, tacito ridet in ore lepos.
 11 Si graderis, placido non dura modestia vultu
 12 est comes et dulcis cum gravitate modus ;
 13 Blandus honos vestem furtim componit, ovansque
 14 te circum plena ludit Amor pharetra.
 15 Fronte decor, sedet ore fides, in pectore candor,
 16 inque tuis omnes sunt oculis veneres.
 17 Sic non devincis nec vinctos, Bembe, relaxas,
 18 sic te quisquis adit mox tua philtera bibit.
 19 Frustra ad te florem Cylleni ferret Ulysses,
 20 sed pro te optasset linquere vel patriam.

AD LAURENTIUM MEDICEM IUNIOREM, EPISTOLA PENE EXTEMPORANEA

E_7 v.1 Quae petis omnifera, Laurenti dulcis, ab Ambra
 2 carmina, praeposita mitto salute tibi,
 3 ille domi vestrae tenero nutritus ab ungui,
 4 sed tuus ante omnis, Politianus, amor.
 5 Si quid agam quaeris, valeo, rurisque benigni
 6 secessu gaudens otia lenta tero.
 7 Et modo pascentes speculor de colle juvencas,
 8 nunc repeto ductus prosilientis aquae,
 9 jactaque magnificae miror fundamina villae :
 10 saepe fruor studio versiculisque meis :
 11 aut ego florentem moneo ne cesset alumnum
 12 ardua Pieridum per juga ferre gradus :
 13 aut varios cantu procul alliciente volucres
 14 captamus, viridi tectus uterque casa.
 15 Te tamen absentem mea mens oculique requirunt,
 16 et desiderio torqueor usque tui.
 17 Nam puerum juvenis (potes hoc meminisse) colebam,
 18 qui nunc te juvenem vir quoque factus amo :
 19 indolis istius jam tum praesagia vidi
 20 scilicet, et vatem vera monebat avis.
 21 Viderat haec eadem, pueri cognomine gaudens,
 22 publica res uno quo stabilita manet ;
 23 cum sibi te comitem, lugubria patris habentem,
 24 seu pede dulcebat sive iter esset equo ;
 25 exemploque sui studium probitatis alebat,
 26 ne labes annos tangeret ulla rudes.
 27 Ergo a se factis fruitur quoque moribus auctor,
 28 iudicioque sibi jam placet ipse suo.
 29 Quare aut pontificem magnis de rebus adire
 30 atque galeritos te jubet ille patres,
 31 aut sua dat Gallo regi mandata referre ;

32 imponitque humeris pondera tanta tuis.
 33 Nam tibi nec gravitas, nec amica gratia frontis,
 34 nec deest proceri verticis altus honor,
 35 ingeniumque capax et par civilibus actis,
 36 quaeque animi largas lingua ministret opes.
 37 Judice cum facias et Apolline carmina primus,
 38 prima favore tamen nostra Thalia tuo est ;
 39 utque ligustra novo superas candore nivemque,
 40 praefers carminibus carmina nostra tuis.
 41 Neve meae pereant cura est tua maxima nugae,
 42 cogis et invito me patre ferre diem ;
 43 neve nihil scribam, blande nova carmina poscis,
 44 officioque foves qualiacumque pio.
 45 Et nunc, quae magnum longe testentur amorem,
 46 scripta repentino fusa calore damus :
 47 non ut ab his nostrum censeri debeat orsis
 48 ingenium, summa deficiente manu ;
 49 sed tamen ut studium vatis tibi constet amici,
 50 lapsa putes animo nec tua dicta meo.

IN ALBIERAM ALBITIAM, PUELLAM FORMOSISSIMAM, MORIENTEM. AD SISMUNDUM STUPHAM EIUS SPONSUM.
EPICEDION

E_8 v.1 Et merito (quis enim tantum perferre dolorem ?
 2 aut quis jam miseris temperet a lacrimis ?)
 3 sed tamen heu frustra crudelia sidera damnas,
 4 Sismunde, et frustra numina surda vocas !
 5 Proh dolor ! Ah quantos rapta pro conjuge fletus
 6 ingeminas ! Quanto perluis imbre genas !
 7 Sollicitasque <tuos> fratres miserumque parentem,
 8 inque tuo tota est vulnere nigra domus.
 9 Nigra domus tota est, flent maesti ad limina cives,
 10 flent socii lacrimis et tua damna piis.
 11 Ipse ego qui dudum reges magno ore canebam,
 12 Dardanaque Argolica Pergama rapta manu,
 13 heu nil dulce sonans taceo jam bella tubasque,
 14 et refero ad nigros carmina maesta rogos ;
 15 ac tecum, infaustus vates, consortia luctus
 16 en repeto, et querulam pectine plango lyram.
 17 Nec, Sismunde, tuos gemitus aegrumque dolorem
 18 arceo : sunt lacrimis funera digna piis ;
 19 majus habes vulnus secreto in pectore, quam quo
 20 te deceat madidas non habuisse genas.
 21 Nam poteras dudum nulli invidisse deorum,
 22 dum subiit velis aura secunda tuis :
 23 nunc, ubi dira suum vertit Fortuna tenorem,
 24 uxor abest, animae portio magna tuae.
 25 Uxor abest, heu heu ! Sed qualem nulla tulerunt
 26 saecula, sed qualem tempora nulla ferent :
 27 uni quicquid habet dederat Natura decoris,
 28 uni etiam dederat Gratia quicquid habet.
 29 Candor erat dulci suffusus sanguine, qualem
 30 alba ferunt rubris lilia mixta rosis.
 31 Ut nitidum laeti radiabant sidus ocelli,
 32 saepe Amore accensas rettulit inde faces.
 33 Solverat effusos quoties sine lege capillos,

34 infesta est trepidis visa Diana feris ;
35 sive iterum adductos fulvum collegit in aurum,
36 compta Cytheriaco est pectine visa Venus.
37 Usque illam parvi furtim componere Amores
38 sunt soliti, et facili Gratia blanda manu,
39 atque honor et teneri jam cana modestia vultus,
40 et decor, et probitas, purpureusque pudor,
41 casta fides, risusque hilaris, moresque pudici,
42 incessusque decens, nudaque simplicitas.
43 Quae cuncta in cineres fati gravis intulit hora,
44 mors cuncta immitti carpsit acerba manu.
45 Occidis, Albiere, prima fraudata juventa,
46 exigeres vitae cum tria lustra tuae ;
47 occidis amborum correpta ante ora parentum ;
48 occidis ante tui lumina maesta viri.
49 Ah dolor ! I nunc, et rebus confide secundis,
50 quas Fortuna levi fertque refertque manu.
51 Tolle animum, et victo molire ex hoste triumphos ;
52 laurigerum morti subiicere caput.
53 Erige Taenareis radiantia tecta columnis ;
54 Parca tamen rapida te trahet inde manu.
55 Ingenio, formae, validae confide juventae ;
56 Albiera ecce gravi morte soluta jacet.
57 Tu mihi nunc tanti fuerit quae causa doloris,
58 attonito vati, maesta Thalia, refer.
59 Annua pelliti referentem sacra Joannis
60 extulerat roseo Cynthius ore diem,
61 cum celebres linquens Sirenum nomine muros,
62 Herculeumque petens regia nata torum,
63 candida Sullanae vestigia protinus urbi
64 intulerat, longae fessa labore viae.
65 Pro se quisque igitur pueri juvenesque senesque
66 matresque et tenerae splendida turba nurus
67 illius adventum celebrant : atque unicus urbis
68 est vultus, festo murmure cuncta fremunt.
69 Est via, Panthagiam Sullani nomine dicunt ;
70 omnibus hic superis templa dicata micant.
71 Hic domus aethereas perrumpens Lentia nubes,
72 provehit ad rutilos culmina celsa polos ;
73 quam prope ridentes submitunt prata colores,
74 pictaque florifero germine vernat humus.
75 Hic, dum cornipedes primi sub carceris oras
76 Tyrrhenae exspectant signa canora tubae,
77 regia nata leves gaudet celebrare choreas,
78 jamque nurus certa brachia lege movent.
79 Emicat ante alias vultu pulcherrima nymphas
80 Albiera, et tremulum spargit ab ore jubar.
81 Aura quatit fusos in candida terga capillos,
82 irradiant dulci lumina nigra face.
83 Tamque suas vincit comites, quam Lucifer ore
84 purpureo rutilans astra minora premit.
85 Attoniti Albieram spectant juvenesque senesque,
86 ferreus est quem non forma pudorve movet.
87 Mentibus Albieram laetis plausuque secundo,
88 Albieram nutu lumine voce probant.
89 Vertit in hanc torvos Rhamnusia luminis orbes,
90 exiguoque movet murmura parva sono.
91 Tum miserae letale favens, oculisque nitorem

92 adjicit et solito celsius ora levat.
 93 Tantaque perturbans extemplo gaudia, tristem
 94 qua pereat virgo quaerit acerba viam.
 95 Hic Febrim aethereas carpentem prospicit auras,
 96 exserere Icarius dum parat ora Canis.
 97 Illam Erebo Noctequae satam comitantur euntem
 98 Luctusque et tenebris Mors adoperta caput,
 99 et Gemitus gravis, et Gemitu commixta Querela,
 100 singultusque frequens, Anxietasque ferox,
 101 et Tremor, et Macies, pavidoque Insania vultu,
 102 semper et ardenti pectore anhela Sitis,
 103 horridus atque Rigor, trepidaeque Insomnia mentis,
 104 inconstansque Rubor, terrificusque Pavor ;
 105 Marmaricique trahunt dominae juga curva leones,
 106 igneae quaeis rabido murmure corda fremunt.
 107 Vertice Diva feras ardenti attollit echidnas,
 108 quae sanie Stygio semper ab ore vomunt :
 109 sanguinei flagrant oculi, cava tempora frigent ;
 110 colla madens sudor, pectora pallor obit :
 111 atque animi interpres liventi lingua veneno
 112 manat, et atra quatit fervidus ora vapor,
 113 spiritus unde gravis tetrum devolvit odorem ;
 114 letifera strident guttura plena face,
 115 sputa cadunt rictu croceo contracta colore,
 116 perpetuo naris laxa fluore madet :
 117 nulla quies nullique premunt membra arida somni,
 118 faucibus in salsis tussis acerba sonat,
 119 risus abest, rari squallent rubigine dentes,
 120 sordida lundato prominet ungue manus :
 121 dextera fumiferam praefulgens lampada quassat,
 122 Sithoniasque gerit frigida laeva nives.
 123 Olli templa olim posuit Romana propago,
 124 abstinuit saevas nec tamen inde manus :
 125 sacra illam Actiaco tenere palatia Phoebos,
 126 quique olim vicus nomine Longus erat ;
 127 area quin etiam dirae templa ardua Febris
 128 ostendit, Mari quae monumenta tenet.
 129 Hoc ubi crudelis vidit Rhamnusia monstrum,
 130 exacuit saevo lurida corda sono :
 131 aspicis hanc, inquit, virgo sata Nocte, puellam,
 132 cujus et hinc radiis ora serena micant ;
 133 quae gaudet, fati sortisque ignara futurae ;
 134 quam digito atque oculis densa caterva notat ?
 135 Hanc nive tu gelida, rapidis hanc infice flammis :
 136 sic opus est vires sentiat illa tuas.
 137 Dixerat, et pariter gressumque avertit et ora :
 138 non oculos poterat jam tolerare truces.
 139 Continuo ardentis stimulis citat illa leones,
 140 saepius et ducto versat in orbe facem.
 141 Interea humentem noctis variantia pallam
 142 Hesperus in rutilo sparserat astra polo.
 143 Albiera in patrios jam candida membra penates
 144 intulerat, molli constiteratque toro :
 145 jam tenero placidum spirabat pectore somnum,
 146 venit ad obstrusos cum Dea saeva lares.
 147 Quo Dea, quo tendis ? Non te lacrimabilis aetas,
 148 non te forma movet, non pudor, aut probitas ?
 149 Nonne movent lacrimaeque viri lacrimaeque parentum ?

150 Mortalem potes ah perdere, saeva, deam ?
151 Limina contigerat ; tremuerunt limina, pallor
152 infecit postes, et patuere fores.
153 Virgineum petit illa torum, pavidaeque puellae
154 pectore ab obscaeno talia dicta refert :
155 "Quae placidam carpis secura mente quietem,
156 et fati et sortis nescia virgo tuae,
157 nondum saeva meae sensisti vulnera dextrae,
158 quae tibi ego et mecum quae tibi fata parant.
159 Stat vacuo tua Parca colo, moritura puella ;
160 ne geme, cum dulce est vivere, dulce mori est."
161 Sic ait ; aestiferamque excussit lampada, et acres
162 virginis iniecit dura sub ossa faces.
163 Tum letale gelu invergens guttasque veneni,
164 inserta heu venis, effugit inde, nece.
165 Excitat illa gravi geminos clamore parentes,
166 advocat absentem nuntia fama virum.
167 Vicinae extemplo matres trepidaeque puellae
168 conveniunt, teneras imbre rigante genas.
169 Jam fera virgineas populatur flamma medullas,
170 jam gelida torpent horrida membra nive.
171 Liquitur infelix ; non ars operosa medentum,
172 non facta a misero conjuge vota juvant.
173 Liquitur ; et quamquam dirae vestigia mortis
174 cernit et extremum sentit adesse diem,
175 Corde tamen gemitum premit et spem fronte serenat,
176 tristitiamque acie dissimulante tegit ;
177 Scilicet augeret trepidi ne dura mariti
178 lamenta, et curas anxietate graves.
179 Jam decima infaustam referebat lampade lucem
180 Cynthus, et picea texerat ora face,
181 cum miserae extremus jam presserat error ocellos,
182 fugerat heu vultus, fugerat ore color.
183 Aspicit illa tamen dulcem moritura maritum,
184 illum acie solum deficiente notat,
185 illius aspectu morientia lumina pascit,
186 mens illum e media morte reversa videt.
187 Quis tibi tunc, Sismunde, dolor, cum virginis artus
188 aspiceres anima jam fugiente mori ?
189 Non tamen illa tui non illa oblita parentum,
190 te vocat et tales fundit ab ore sonos :
191 "Pars animae, Sismunde, meae, si conjugis in te
192 quicquam juris habent ultima verba tuae,
193 Parce, precor, lacrimis : vixi, cursumque peregi,
194 jam procul a vobis me mea fata vocant.
195 Immatura quidem morior, sed pura sub umbras
196 discedam et nullis sordida de maculis.
197 Discedam virgo facibus nec victa maritis ;
198 cessi conjugii nil nisi nomen habens :
199 [Lacune]
200 [Lacune]
201 [Lacune]
202 est mihi dulce etiam, te superante, mori.
203 Nil mihi jam poterant anni conferre seniles,
204 vita brevis longi temporis instar habet.
205 Mi dederat teneri leges natura pudoris,
206 mi dederat mores cum probitate pios.
207 Nil mutari in me cuperes, nisi tristia fata :

208 humanae vici conditionis opus.
 209 Vidi ego te summi defunctum munere honoris,
 210 vidi omnem festa pace nitere domum,
 211 et nisi me gemini possunt nil flere parentes.
 212 Parce igitur manes sollicitare pios ;
 213 Parce, precor, lacrimis, conjux : sic laetus in auras
 214 evadet tenues spiritus inde meus.
 215 Maesta sed amborum, nimis ah nimis, ora parentum
 216 solare... Heu nostro torpet in ore sonus,
 217 heu rapior ! Tu vive mihi, tibi mortua vivam.
 218 Caligant oculi jam mihi morte graves.
 219 Jamque vale, o conjux, charique valetate parentes.
 220 Heu procul hinc nigra condita nocte feror."
 221 Sic ait : et dulcem moriens complexa maritum
 222 labitur, inque illo corpus inane jacet.
 223 Corpus inane jacet chara cervice recumbens
 224 conjugis. Heu fati tristia jura gravis !
 225 Hoc licuit vobis o ferrea pectora, Parcae :
 226 credo ego jam divum numina posse mori.
 227 Quis nunc, quis gemitus miserorum et verba parentum
 228 nesciat in tantis heu repetita malis ?
 229 Ora rigat lacrimis frater, rumpitque capillos
 230 maesta soror, teneras et secat ungue genas.
 231 Non secus Hectoreo Trojanae in funere matres
 232 fleverunt scissis publica fata comis.
 233 Implentur clamore lares, clamore resultant
 234 atria, luctisonis fletibus aula fremit.
 235 Heu quid agas, conjux ? Quae vocem in verba relaxes ?
 236 Quo fletu incuses tristia fata miser ?
 237 Non lacrimas miserandus habes, non verba dolentum ;
 238 attonitus pigro torpet in ore sonus.
 239 Exstinctae ingeminas tantum misera oscula, et arte
 240 impedis amplexu frigida membra tuo :
 241 dilectosque premis vultus, premis ora, nec ullum
 242 invenit inclusus pectore luctus iter.
 243 Quoque magis mersum premis alto in corde dolorem,
 244 hoc magis ille furit, aestuat atque magis.
 245 Sic magis inclusus furit intra obstacula torrens ;
 246 quae si dimoveas, lenior inde fluet.
 247 Quin etiam invisae rupisses vincula vitae,
 248 conjugis ut manes prosequerere pios ;
 249 sed prohibent fratres et blandi cura parentis,
 250 sed prohibent socii pectora fida tui.
 251 Jam virgo effertur nigro composta feretro,
 252 desectas humili fronde revincta comas.
 253 Heu ubi nunc blandi risus, ubi dulcia verba,
 254 quae poterant ferri frangere duritiem ?
 255 Lumina sidereas ubi nunc torquentia flammis,
 256 heu ubi puniceis aemula labra rosis ?
 257 Proh Superi, quid non homini brevis eripit hora ?
 258 Ah miseri, somnus et levis umbra sumus !
 259 Non tamen aut niveos pallor mutaverat artus,
 260 aut gelido macies sederat ore gravis :
 261 sed formosa levem mors est imitata soporem,
 262 is nitidos vultus oraque languor habet !
 263 Virginea sic laeta manu candentia languent
 264 lilliaque et niveis texta corona rosis.
 265 Hic, ceu nulla prius fuerint lamenta, novatur

266 luctus, et indignis imbris ora madent.
 267 Praecedit jam pompa frequens, jam maesta sacerdos
 268 verba canit, sacris turribus aera sonant.
 269 Funerea cives pullati veste sequuntur,
 270 et spargunt maestas ore madente genas ;
 271 densaque plebs vidui deplorant fata mariti,
 272 atque illum digito luminibusque notant.
 273 O quantum impexi crines oculisque genaeque
 274 noctis habent ! Quantus nubilat ora dolor !
 275 Quid nunc exequias celebres opulentaque dicam
 276 munera ? Quid donis templa referta piis ?
 277 Omnis ceratis radiat funalibus ara,
 278 omnis odoratis ignibus ara calet :
 279 aeternamque canunt requiem lucemque verendi
 280 sacricolae, et lymphis corpus inane rigant.
 281 Et tandem gelidos operosi marmoris artus
 282 includit tumulus, et breve carmen habet :
 283 hoc jacet Albierae pulchrum sub marmore corpus ;
 284 nulla quidem tantum marmora laudis habent.
 285 Exornat tumulum corpus, sed spiritus astra :
 286 o quanta accessit gloria lausque polo !

CAROLO MARSUPINO

E_9 v.1 Carle, quid obstrusas sapientum quaerere mentes,
 2 quid properas tetricos consuluisse senes ?
 3 Te decet exactos mordaci claudere versus
 4 pumice, delicias et celebrare tuas ;
 5 ut cantata novo se carmine jactet amica,
 6 subjiciatque leves nuda Thalia jocos.
 7 Par est nequitia juvenes gaudere proterva,
 8 hanc Venus aetatem vindicat ipsa sibi.
 9 Si sapis ergo, graves procul o procul exige chartas :
 10 non facit aetati musa severa tuae.
 11 Vince Philetaeos molli cum carmine lusus,
 12 invidet teneris Graecia docta modis.
 13 Sic tibi purpurea geminus cum matre Cupido
 14 imponet meritae myrtea sarta comae ;
 15 aeternamque feres super aurea sidera famam,
 16 quae tibi post cineres sola superstes erit.

AD LAURENTIAM MEDICEM

E_10 v.1 Nonne magis referam Petrum, patriaeque parentem
 2 Cosmum ? Non Medicae pignora bina domus ?
 3 Temperet ut Lydos tanta Laurentius arte,
 4 stelligeros quanta Juppiter ipse polos ;
 5 ut tandem, conata jugo subducere collum,
 6 protendit victas jam Volaterra manus ;
 7 ut modo Palladiae Pisis cedetis Athenae,
 8 ociaque antiquae dulcia Parthenopes.
 9 Nonne magis referam ludicrae munera pugnae,
 10 Verinus quamvis dixerit ille meus ?
 11 Poene puer juvenes valido Laurentius ictu

12 dejecit, forti conspiciendus equo ;
 13 paene puer terrae galeas devolvit inanes,
 14 stravit cornipedes arma virosque simul :
 15 has ego non humili complectar carmine laudes,
 16 virtutis referens munera prima suae.
 17 Paene puer fudit patriae Laurentius hostes,
 18 compulit et proprios deseruisse lares ;
 19 armatos cives armis circumdatus ipse
 20 duxit, et infidas expulit urbe manus :
 21 territus effugit patriis Detisalvus ab oris,
 22 nunc terit in longa tempora pauperie.
 23 Haec mea Musa canet, nostro haec sint ore canenda,
 24 et meus hoc tantum pulvere sudet equus.
 25 His mihi descriptis, libeat quoque forsitan ad illos
 26 flectere converso protinus axe rotas.

IN VIOLAS, A VENERE MEA DONO ACCEPTAS

E_11 v.1 Molles o violae, Veneris munuscula nostrae,
 2 dulce quibus tanti pignus amoris inest,
 3 quae vos quae genuit tellus ? Quo nectare odoras
 4 sparserunt zephyri mollis et aura comas ?
 5 Vos ne in acidaliis aluit Venus aurea campis ?
 6 Vosne sub Idalio pavit Amor nemore ?
 7 His ego crediderim citharas ornare corollis
 8 permessi in roseo margine Pieridas ;
 9 hoc flore ambrosios incingitur Hora capillos ;
 10 hoc tegit indociles Gratia blanda sinus ;
 11 haec Aurora suae nectit redimicula fronti,
 12 cum roseum verno pandit ab axe diem ;
 13 talibus Hesperidum rutilant violaria gemmis,
 14 floribus his pictum possidet aura nemus ;
 15 his distincta pii ludunt per gramina manes ;
 16 hos foetus verna Chloridos herba parit.
 17 Felices nimium violae, quas carpsperit illa
 18 dextera quae miserum me mihi subripuit !
 19 Quas roscis digitis formoso admoverit ori
 20 illi unde in me spicula torquet amor !
 21 Forsitan et vobis haec illinc gratia venit,
 22 tantus honor dominae spirat ab ore meae !
 23 Aspice lacteolo blanditur ut illa colore,
 24 aspice purpureis ut rubet haec foliis ;
 25 Hic color est dominae, roseo cum dulce pudore
 26 pingit lacteolas purpura grata genas.
 27 Quam dulcem labris, quam late spirat odorem !
 28 Eu, violae, in vobis ille remansit odor.
 29 O fortunatae violae, mea vita, meumque
 30 delicium, o animi portus et aura mei,
 31 a vobis saltem, violae, grata oscula carpam,
 32 vos avida tangam terque quaterque manu,
 33 vos lacrimis satiabo meis quae maesta per ora
 34 perque sinum vivi fluminis instar eunt.
 35 Combibite has lacrimas, quae lentae pabula flammae
 36 saevus amor nostris exprimit ex oculis.
 37 Vivite perpetuum, violae, nec solibus aestus
 38 nec vos mordaci frigore carpat hyems.

39 Vivite perpetuum, miseri solamen amoris,
 40 o violae, o nostri grata quies animi.
 41 Vos eritis mecum semper, vos semper amabo,
 42 torquebor pulchra dum miser a domina,
 43 dumque cupidineae carpent mea pectora flammae,
 44 dum mecum stabunt et lacrimae et gemitus.

IN LALAGEN

E_12 v.1 Laetior ut cervus, protracto naribus angui,
 2 exuit annoso cornua cum senio ;
 3 aurea Callaicis ut nuper dempta caminis
 4 Lamna repercusso dulcius igne tremit ;
 5 pulchrior Eois ut Phosphorus emicat undis,
 6 Phosphorus Idaliae fax adamata deae ;
 7 sic mea, frigidulo nuper languore soluta,
 8 purpureo Lalage fulgurat ore magis.
 9 Aspice sidereis ut blandum arridet ocellis,
 10 utque sub his geminam lampada quassat amor ;
 11 aureoli ut ludunt per lactea colla capilli,
 12 quantus in explicita fronte superbit honos.
 13 Quam non mortalem se fert ! Quae haec ora manusque !
 14 O superi, anne Jovis dignior ulla toro ?
 15 Nunc lacrimae, nunc ipsa juvant suspiria : sed tu
 16 quam mage formosa es, tam mage mitis ades.
 17 Omnibus ante aliis, nunc te quoque pulchrior ipsa es,
 18 deque avida volucer febre triumphat Amor.
 19 Sed tu ne posthac per tanta pericula formam
 20 quaesieris, metam contigit illa suam :
 21 pulchrior esse nequis ; vel si potes, aequius est te
 22 jam, Lalage, nostris parcere luminibus.
 23 Vix te, vix talem ferimus ; quod si auxeris illam,
 24 fiam ego, qui nunc sum nil nisi flamma, cinis.

AD IOANNEM BAPTISTUM CANTALICIUM

E_13 v.1 Omnia non semper possunt cognoscere vates,
 2 semper et humanum non viget ingenium ;
 3 ut semper tenerae non lucent cornua lunae,
 4 nec Phoebus semper mergit in amne rotas ;
 5 Spicea sic aestas toto non volvitur anno,
 6 nec durant pratis arboribusque comae ;
 7 semper et Herculei non torrent terga leonis,
 8 Cyntihus aurata nec sonat usque lyra.
 9 Quis me compulerit pueriles scribere versus
 10 ignotum est, video, culte poeta, tibi.
 11 Credis ut Aonio tecum concurrere gyro
 12 ipse velim et vatem vincere carminibus ?
 13 Accipe quid contra dicam tibi, docte Joannes,
 14 curque seni ignarus scribere non timui.
 15 Jam sol Tyndaridas geminos lustrare quadrigis
 16 coeperat, et tepidum jam promovere diem ;
 17 cum somnus dulci solvit mea membra sopore,
 18 curarum domitrix pressit et alta quies.

19 Ecce ego conspicio venientes ordine Musas...
20 Aut fuit, aut vacuae somnia mentis erant.
21 Quaeque suos vario velarat flore capillos,
22 cujusque in manibus laurea virga fuit.
23 Ut primum thalami tetigerunt limina nostri,
24 lucida ab aethereo est lumine facta domus.
25 Hic Dea, Pieridas inter pulcherrima cunctas,
26 incoepit roseo sic prior ore loqui :
27 surge, age, Phoebos qui vis cognoscere vates,
28 ut tua Gorgoneis ora rigentur aquis.
29 I, Geminiani celeri pete moenia passu,
30 moenia quae multum Cynthus ipse colit :
31 hic vates viridi redimitus tempora lauro
32 ad Phoebum poterit praevious esse tibi.
33 Dixit. Et ex oculis cunctae fugere sorores,
34 et mea destituit lumina somnus iners.
35 Scis nunc cur numeros misi tibi, docte poeta ?
36 Ut tangam sacri, te duce, fontis aquas.